

Konrad Grebel<sup>1)</sup> an Vadian.*Melun. 1519. October 6.*

Klagen darüber, dass er nicht an der Hochzeit Vadians teilnehmen konnte und Glückwunsch zum neuen Ehestand. Unmöglichkeit einer Aussöhnung mit Glarean. Das Wüten der Pest in Paris und Umgebung. Grüße von Bekannten und an Bekannte.

S(alutem). Literas tuas, vir clarissime et observandissime sorori, illa tua solita humanitate plenas quam libenter viderim legerimque, nullis verbis expressero. Qui enim tam pauperis ingenii ille, præterea dignum iniquissimæ fortunæ ludibrium, facile dicerem, quanta voluptate affectus fuerim; sed si quis inter meras lacrimas<sup>a)</sup> gaudere et a miserabilibus perturbationibus respirare potest, si latronum metus, si pestis sævæ horror frontem a rugis vindicare sinunt. Antea certe, quam aditum mihi in patriam ad concelebrandas nuptias — scis quas — impeditum esse ex literis nondum reclusis cognoscere possem, nuncio præoccupante, te sororem meam duxisse, lætitia<sup>b)</sup> amens mihi ipse videbar audire. Sed tunc cum patris animum nullo viatico misso intelligerem, incredibile dictu, quantum prostratus animo fuerim et quantum lacrimarum<sup>a)</sup> profuderim. Atque ut credibilius tibi fiat, dii me perpetuæ miserię obnoxium eiulatorem reddant, si non amarissime dolui, dixi quare, si non amarissime gemui flevisque. Utcunque me enecent more solito ira patris et fortunæ odium, sororem meam duxisti, candidissime de sponsalibus inter vos convenit, contigitque mihi hoc Platónico anno nulla præter hanc unam res grata: celebrabuntur nuptiæ; ingens erit tuorum, erit et meorum utrinque lætitia; id quod ego tibi et tuæ sponse nostrisque omnibus felix<sup>c)</sup> faustum fortunatumque semper ut siet, deum optimum maximum Iesum Christum omnibus modis et votis obsecro obtestorque. Debebam coram adesse et divinum virum illum, modo meum sororium factum, compellere, salutare, ducere sponsum paranympus, venerari, amplecti denique et colere studiosissime. Debebam sed vates iam factus epithalamio te sollicitare, quo nimirum iam sollicito, si continuis lacrimis<sup>a)</sup> id genus carminis ut cento contextitur. Debebat pater me pecunia adjuvare, ut id fieri licuisset. Debebam adesse, debebat pater viam struere; sed quid? debebat me sinister meus genius,

perfidia, infortunium et omne malorum mare exagitare et fluctibus tantum non mergere. Indoluisti, secundum adverso casu me obrutum fuisse. Facis id nescio quomodo dicam, sed dicam paterne; devinctiorem, nec hic mihi verbum succurrit, reddidisti, si modo ille — tuus ego alter — animus (sed nunquid sumus nos improbi et sinunt hoc tuę immortales Musę!) devinctus nullo non modo quam arctissime est tibi que solus, si diis placet, gaudet. Invitasti ad nuptias; nihil minus potui, nil magis potui, quam dulciter lacrimari<sup>a)</sup>, et cum vestras relegerem et hisce meis plorantibus literis responderem. Socerum tuum tibi festive hilarem, patrem meum mihi iure implacatum nuncias, sic tamen, ut somnia nostra nobis narraveris et provide divinanti vati consenseris. Iubes curare, ut nihil eorum, quę sinistre acciderunt, culpa mea evenisse videri queat. Curavi, obsecutus sum; nihil mea culpa deliquit, nihil enim deliquit; supplex sum, devoveo me, si iterum peccem, ignoscat modo, condonet, placetur, reconciliatur (!) et obliviscatur eorum, quę hactenus in meum caput caduntur maxime. Quid, ut Glareanum mihi reconciliem, admones? quem si, ut cupiat enixissime, ne ipsa quidem amicitia in gratiam meam reduxerit; hoc tibi uni loquimur, propterea quod ille similitatem semel indutam nescio quo ministrante Nesso non nisi supremo rogo exuet. Dices, vereor, me non ab ingenio meo recedere; sit ita; non recedam. Tamen dies ipsa atque adeo res quoque olim docebit, quam verus etiam citra ingenium meum — scis quid velim — ingenio fuerim. Non longum tempus est, dedi ad te literas, magnam inter hunc et me — sic tunc videbatur — tragœdiam effutientes; quam nunc vix comœdiam placatiorem diceres, si scias, quam in hoc casu inter nos denuo miris velitationibus tumultuatum fuerit. Dii utrique suam mentem dabant, suos animos. Ne multa referam —, nunquid multa refero? —: latrocinij crimine accusavit et soceri tui alioqui satis misellum et hostibus miserandum filium, quantum potuit, damnavit; iustitia hunc enecet causidicum. His nihil addam; verum si omnem litem a fronte accusationis ad pedem usque damnationis, ut ita dicam, exponi voles, rescribe. Rescribe, quid illud sit, quod non occupatus relaturus eras, et num pater me in perpetuis Gallię Gyaris proscriptum tenere decernat. Ego vero tantisper, dum id fiat, nihil, quod sponsi vitam referat, sentiam. Tristabor, omnia metuam, omnia inquam: pestilentiam, quę apud nos quoque ad decimum a Lutetia lapidem Meloduni sæviet, Aut me mors liberabit ab anxiiis malis, aut pater, si me vocet, iterum pecuniam sup-

plici et fasso missurus. Si patriam forsitan iterum, non videro, epitaphio me prosequere; spero enim, ut, cuius nuptiis interesse nequeo, ille meis interfuturus sit exequiis. Parce, si pro epithalamiis epitaphia loquor; non sum ebrius, id nolens volens, mœrore et misera conditione temulentus, non tecum non conqueri potui. Solus miser sum; non est omen, etsi noctuę nihil vel parum lucis appareat. Velim scire, p̄iusquam noster <sup>est</sup> omnibus modis factus es, an Tigurinus futurus sis perpetuo. Unilinguis venturus eram, si dii voluissent; nunc tibi bilingues atque adeo trilingues mitto et Calliopes funus p̄ne<sup>d)</sup> mortuus. Desinam continuo garrere et iocari umbra. Valentinus Scudus, parochus Glareanus, te salutari iussit; nosti, puto, illum ingeniosum iuvenem. Idem facit Petrus Scudus, sed idem Lutetię Leopoldus noster. Glareanus, ne hoc nescias, diversa via nobis a Lutetia, nimirum ad decimum lapidem, pestilentię malum cum suis declinare studet. Non potuere hæc tam longa brevius, tristia lætius scribi. Ignosce, oro, et horulam nuptiis tuis perire sinas. Coniugem tuam, Zinglium et Os(w)aldum Myconium, viros undique doctos et perhumanos, quorum ego mancipium sum, et quicumque me loquentur, nomine meo salvare iubeto. Vale cum tuis felicissime<sup>e)</sup> succedantque omnia tam feliciter<sup>f)</sup>, quam mihi misere, fiatque nihil non nuptialiter et ex sententia vestra.

Meloduni, VI Octobris, anno MDXVIII.

Conradus Grebelius, soceri tui filius calamitosissimus  
tuus ille ut lubet etc.

Ioachimo Vadiano, poetæ, oratori et medico insigni, patris  
sui genero pie colendo.

a) „lachrymas“, „marum“, „mis“, „mari“. — b) Durchwegs „cia“ u. ähnl. für „tia“. — c) „foelix“, „cissime“, „citer“. — d) „pene“.

f) Vrgl. I, Register.

1519 Okt. 7. J. J. o. liliis III 192 Nr. 54.

171.

I 171.

Leonhard von Watt<sup>1)</sup> an Vadian.

St. Gallen. 1519. November 2.

Übersendung einiger Briefe durch Melchior von Watt. Rat inbetreff Ankauf eines Hauses. Empfehlung des Überbringers.

Gäben zu Sant Gallen uff aller selen tag im 1519. jar.

Min guinstlich gruß befor. Lieber her dockter, uwer gesonthait und deren, so uich lieb sind, hörend wir allzit gern. Ich send uich ettlich brieff